



## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodière

Qvi ... Illas Omnes Complectitvr Historias, Qvæ Post Secvndam Sex  
Tomorvm Editionem ...

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1586**

**VD16 ZV 1269**

XIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77432)

eorum fama virtutum peruolabat: Qui die sancti Spiritus illo mysterio fuere roborati. Quapropter Attilanus templa, loca, omnesque populos summa cura gubernabat, & annos fere decem magnos & assiduos labores tolerabat. Qui memor exacte vite, criminumque suorum quae antea commiserat, peregre proficisci statuit. Episcopatus itaque reditus pauperibus mandat communes fieri, quod multis rationibus suos hortatur, quoniam necessitate coactus, se per aliquot tempus recessurum dicebat. Quod si secus mandatum fecissent, Deus iratus maledictione condemnaret. Hoc audientes, qui vitam eius nouerant, clamant omnes: Te sequemur quocunque vadis, o mortaliu[m] omnium clementissime, quare nos in tanta calamitate relinquis? Per Deum unicum quicquid rogas, nos facturos testamur. Ille autem fidem uerbis illorum adhibens, cum eos benedixisset, statim discessit. Cumque uenisset ad pontem prope templum sancti Laurentij, annulum quem digito gestat, de ponte proiecit in flumen, dicens: Quando annulum hunc reuidero, tunc ab omnipotenti Deo omnium delictorum meorum veniam promerebor. Inde autem discedens cum uno comite quem plurimum diligebat, adeo festinauit, ut eum defatigatum reliquerit in itinere. Solus itaque se pannis induit quam uilissimis, adeo ut a nemine cognosci posset, & duos annos elemosynis uixit. Quem tandem uox in somnis audita, diuinitus sic admonuit: Attilane, iam tuum ad pontificatum perge, tua enim exaudita sunt preces. Ipseque praeccepto audito, se itineri accinxit. Venit itaque nocte ad eremum quae sancti Vincentij de Cornu uocabatur, & conuicina sancto sepulcro, ubi quaedam muliercula cum marito suo illum in paruo domo receperunt, eique coenam non lautam quidem dederunt. Mane autem maritus & uxor pro piscibus ad Episcopi domum vadunt, ut antea consueuerant, & Attilanum rogant ut interim domum custodiat. Quibus dantur pisces, in memores uisus quem domi reliquerant, reuersi pro eo dederunt piscem maioris ponderis. Quos pisces Attilanum rogant ut praeparet, donec ipsa pro aqua, & maritus pro igne vadunt. Quibus Attilanus respondit, obsequenter. Cumque maiorem piscem accepisset, dum eius viscera uolueret, annulum quem a ponte deiecerat, inuenit. Tunc repente pronus, & genibus flexis Deo gratias egit, & continuo sponte campana sonitum dederunt, & magna totius ciuitatis admiratio orta est. Quapropter per omnes domos, & hospitia atque hospitales perquirunt, nihilque comperiebant. Cum essent itaque omnes solliciti, tandem uir quidam, procurator rei familiaris Episcopi, meminit de uiro quodam, quem muliercula sibi dixerit hospitatum apud se, nescius cuius dignitatis esset. Omnes illuc concurrunt sacerdotes, & tota ciuitas. Attilanus autem ueste non preciosa, neque noua, sed uili atque detrita inuentus est, Deo gratias agens. Quapropter omnes ei gratulantes & Deo gratias agentes, cum magno gaudio reduxerunt in ciuitatem: qui postea uixit annos circiter octo, sanctis semper operibus incumbens. Quem uita functum nomine ciuitatis, Urbanus Pontifex Maximus, in sanctorum numerum canonizationum aggregauit. Anno millesimo secundo, quo regnabat in Hispania Rex Henricus.

Subtrahit se ab Episcopatu ad tempus, ut peccata sua desinat

Uixit ex elemosynis,

Cognoscit ex inuero annulo dimissa sibi esse peccata.

Rediit ad suam uidentiam.

Defunctus ad sanctos describitur.

MARTYRIUM SS. FAVSTI, IANVARI ET MARTIALIS, AVTHORE LVCIO MARINEO SICULO, Regio historiographo, de rebus Hispaniae libro quinto.



L I M cum Praeses Eugenius Cordubam uenisset, ei Faustus, Ianuarius, & Martialis occurrerunt dicentes: Quid tibi uis Eugeni, quod Dei seruis maus inuidere quam credere? Tunc Eugenius ira percitus, dixit: O infelices homines, quid uos esse uultis? Faustus respondit: Nos Christiani Christum fatentes, qui Dominus unus est, per quem omnia & nos per ipsum facti sumus, Eugenius dixit: Unde uobis est haec tam desperata societas? Faustus respondit: Desperatio in nobis non est, nisi in te solo, qui nos Deum negare frustra compellis. Hoc cum dixisset Faustus, magis iratus Praeses, Imponite, dixit, Faustum in euleo, qui tam irreuerenter mihi respondit. Tunc Ianuarius Fausto dixit. O charissime, tu pro nobis.

13. Octob.

Martyrii confessio.

no. 5. Faustus

in euleo  
suspenditur

bis hoc pateris, qui meritis peccatorum nostrorum te socium esse voluisti. Cui Faustus respondit: Societas nostra, Ianuari, mansit in terra semper, & imperpetuum manebit in caelo. Hoc cum audisset Eugenius, admiratus dixit: Quae est ista nunc allocutio vestra, quod tam impie voluistis respondere mihi? Ianuarius dixit: Nobis confessio Christi, & nulla impietas est. Tunc Eugenius ad Martialem conuersus dixit: Vides istorum animi dementiam, qua te in societatem suam contraxerunt: Noli maleficis istis & impijs te credere. Cui Martialis dixit: Solus Deus immortalis est, qui caelum fecit & terram, ipse pro tuis malis operibus te puniet. Quod audiens Eugenius, Et hic, inquit, ponatur in euleo. Quod cum fieri vidisset Martialis, o beata, dixit, immortalitas gloriae Christi, qua nos tibi frater Fauste sociasti. Tum dixit Eugenius satellitibus suis: Torquete eos donec adorent deos nostros. Faustus autem dum torqueretur, Difficile est, inquit, tibi, & patri tuo, qui diabolus est, nos a paternis legibus, ad mortalitatem tuam conuertere. Propter quod Eugenius dixit: Abscindantur ei nares, & auriculae, supercilia radantur, dentesque mandibulae superioris euellantur. Quod cum factum esset, Faustus Deo gratias agens, magis hilarius factus est. Eugenius Ianuario dicebat: Videsne Ianuari, quanta tormenta passus fuerit Faustus, dum deceptus opinione sua, pertinaciter imperio meo parere recusat? Ianuarius autem dixit: Impietas ista & pertinacia Fausti in me maneat, & eius vinculum charitatis, ad cuius verba dixit Eugenius: Auferantur & huic quae illi praecipimus. Dumque torqueretur Ianuarius, Eugenius Praeses Martialem sic alloquitur: Vides Martialis sociorum tuorum dementiam, & quae illis mala venerunt? Tu igitur consule tibi, teque disunge ab illorum mala consuetudine, prauaque voluntate. Martialis autem dixit: Consolatio mea Deus est, quem ipsi magna voce testantur, ideoque confitendus & laudandus est Deus, Pater, & Filius & Spiritus sanctus. Tunc Eugenius maiori furore successus, iussit eos igne comburi. Cumque perducti fuissent ad locum suae passionis, sic vno spiritu plebem Christi alloqui coeperunt, dicentes: Vos charissimi mei, & Christi fideles, nolite credere huic diabolo inimico, sed agnoscite vos ad Dei similitudinem & imaginem esse factos. Illum igitur adorare, & illum benedicere qui auctor est omnium: non, vt isti dicunt, adoreris opera manuum ipsorum, quoniam ligna, & petra, aurum & argentum sunt, opera manuum hominum. Vos itaque contemnentis huius iniuriam, & confidentes in Iesu Christo, soli Deo sine cessatione quotidie referte laudes. Et cum ducerent eos lictores, per quorum manus fuerant cruciati, coeperunt eos igni compellere, simulque traditi flammis, exultantes tradiderunt Deo spiritum.

S. Faustus  
nares & auriculae  
praeciduntur.

Item S. Ianuario.

Gen. 1.

Psal. 113.

Saeti martyres  
ignibus comburuntur.

SURIUS

q. bar  
Nomen  
RVIII  
5

DE MORTE S. LVPENTII MARTYRIS ET ABBATIS GABALLITANI, EX LIB. VI. HISTORIARUM Gregorij Turonensis. Cap. 37.

22. Octob.

S. Lupertus  
multis supplicijs  
affectus, capite  
caeditur.

Capitis eius  
miraculosa  
inuentio.

**L**V PENTIVS vero Abbas basilicae sancti Priuati martyris urbis Gaballitanae, a Brunichilde Regina accersitus aduenit. Accusatus enim (vt fertur) fuerat ab Innocentio supra dictae urbis Comite. quod scelestum aliquid effatus de regina fuisset. Sed discussis causis, cum nihil de crimine laese maiestatis conscius esset inuentus, dimissus est. Verum ubi viam carpere coepit, iterum ab antedicto Comite captus, & ad Poteconem villam deductus, multis supplicijs est affectus. Dimissusque iterum vt rediret, cum super Axonam fluum reuertentem tetendisset, iterum irruit super eum inimicus eius. Cuius vt oppressi amputatum caput in culleum oneratum lapidibus posuit, & flumini dedit, reliquum vero corpus vincum cum saxo immergit gurgiti. Post dies vero paucos apparuit quibusdam pastoribus, & sic extractus a flumine, sepulturae mandatus est. Sed dum necessaria funeris pararentur, & ignoraretur a populo quis esset, praesertim cum caput truncatum non inueniretur, subito adueniens aquila leuauit culleum a fundo fluminis, & in ripa deposuit. Admirantesque qui aderant, apprehenso culleo, dum solliciter quid contineret inquirunt, caput truncatum reperiunt: & sic cum reliquis artibus est sepultum. Ferunt autem lumen ibi diuinitus nunc apparere. Et si infirmus ad hunc tumulum fideliter deportatus fuerit, accepta sospitate recedit.

MAR